



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva

Dirckinck, Johann

Coloniae Agrippinae, 1705

VD18 15298639

22. Charitas oris.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

bonum intrinsecum & extrinsecum ex
animo tibi volo, cupio, opto & faveo.

Petitio.

Deus, qui diligentibus Te facis cuncta
prodesse, da nobis multiplicis hujus chari-
tatis ardentis affectus, ut Te toto corde
nostro diligamus, & à Te vicissim diligi
mereamur.

Aspirationes.

I. *Pone me ut signaculum super cor tuum.*
Cant. c. 8. 6.

II. *Ponderibus suis aguntur omnia, &
loca sua petunt: pondus meum, amor meus,
illo feror, quocunque feror.* S. Aug. L. 13.
Confess.

III. *In toto corde, & in omni virtute
sua dilige illum, qui Te fecit.* Eccli. c. 7. 32.

P A S S U S XXII.

Charitas oris & locutionis.

T E X T U S.

*Ex abundantia cordis os loqui-
tur.* Matth. c. 12.

Cognitio.

Amor non solum se prodit affectibus, & operibus; verum etiam verbis & sermonibus: dulce enim est de dilecto loqui: inspicere cor tuum; si amas voluptates & gaudia mundi; si amas honorem & dignitates, aut hominem, aliasve creaturas: dulce est de dilectis & cum dilectis loqui: *Ex abundantia cordis os loquitur*: & quod quisque bibit, hoc eructat. Navita de ventis, de tauris narrat arator: enumerat miles vulnera, pastor oves. Simili ratione, si tu amore Deum prosequeris, si Jesum diligis, si virtutem, cœlum, regnum Dei amore complecteris; ex abundantia cordis os tuum loquetur. Hunc igitur amorem primo corde concipe, deinde lingua deprome.

1. In quotidianis colloquiis.
2. In amicorum visitationibus.
3. In infirmorum consolationibus.
4. In catechesibus & exhortationibus.
5. In tribunali sacro, cunctisque occasionibus.

Dulcor in his, indicium est amoris; tœdium & nausea in his sermonibus signum tepiditatis.

Dilectio.

O jugum sancti amoris! quàm dulciter capis! gloriosè illaqueas, suaviter premis,
de-

delectanter oneras, fortiter stringis, prudenter erudis, & linguam in laudes & gloriam tuam piè instruis. O amor! ex quo oritur strenuitas morum, puritas affectionum, subtilitas intellectuum, desideriorum sanctitas, sermonum & locutionum pietas, operum claritas, virtutum fecunditas, meritum dignitas, præmiorum sublimitas! S. Bern. de dilig. Deo. O amor! linguam meam erudias, & in Dei laudes, piósque sermones laxes.

Petitio.

Domine JESU, qui cum discipulis tuis loquebaris de regno Dei: da mihi linguam sanctam, linguam igneam, & loquelam amoris dulcedine plenam; quâ libenter ac dulciter de Te Deo meo, ac de regno tuo, rebûsque spiritualibus sermones instituum; non verò de regno mundi & vanitatis, non de regno diaboli & carnis. Da quoque, ut in exhortationibus & exhomologeteriis, in colloquiis & conversationibus cum proximis, omnes verbis ædificem, & sancti amoris tui igne cunctos succendam, ad gloriam tuam. Amen.

Aspirationes.

1. Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut as sonans. 1. Corinth. c. 13.

II. Sancti viri amando discunt, quod docendo proferunt. S. Greg. in Ezech.

III. O sancte Spiritus ! calculo ignito charitatis perpurga linguam & labia mea; ut libenter & cum gustu de DEO ac divinis colloquar.

P A S S U S XXIII.

Charitas operis.

T E X T U S.

Filioli, non diligamus verbo & linguâ, sed opere & veritate.

I. Joan. c. 3. 16.

Cognitio.

Quisquis Deum vero & sincero amore prosequitur, opere ipso suam erga Deum & proximum charitatem demonstrat; rectè enim asserit Magnus Gregorius: *Probatio dilectionis, exhibitio est operis: Qui enim dicunt, & non faciunt; verbis lactant, opus denegant; amore affectivo sed inefficaci se fallunt; vero autem efficaciæque amore carent. Quare verus Dei amator conatur pro viribus præstare sequentia:*

I. Præcepta DEI exactè observare.

2. Cha-